

(34. Huc referri debent sponsalia, quæ sunt negotium præparatorium futuri matrimonii contrahendi, in quibus omnia determinantur, quæ inservire possunt futuro matrimonio contrahendo. (35. Huc quoque referendum pactum de mutuanda certa ac determinata pecuniæ quantitate ad certum tempus. Et propterea apud illas gentes, apud quas ex pacto actio oritur, actio ad interesse ei, cui promissio facta est, denegari nequit.

ARTICULUS II.

Quoad illos qui possunt, vel non, pacisci; quoad res de quibus licet, vel non, pacisci; et quoad pacta quedam illicita, et a jure reprobata.

SUMMARIUM.

1. Omnes illi pacisci possunt, vel non, qui possunt, vel non, contrahere. — 2. Qui autem possint, vel non, contrahere? remissive. — 3. Pacisci solum potest de iis rebus, quæ sunt paciscentium propriæ. — 4. Hinc pacisci non potest de rebus sacris et religiosis. — 5. Nec de rebus, quæ sunt publicæ et communes. — 6. Pacisci solum potest de rebus possibilibus. — 7. Item solum de rebus licitis et honestis. — 8. Omne pactum pro obtinenda re spirituali est penitus irritum, ac nullius momenti. — 9. Sic omne pactum circa spiritualia est illicitum, et continet Simoniam, saltem ecclesiasticam, quando illud intervenit in beneficiis ecclesiasticis, etc. — 10. Pactum, vi cuius beneficium ecclesiasticum debet pecunia resignari, nullum est atque Simoniacum. — 11. Et hoc etiam procedit de pacto illo, quo una pars litigans, privata convent., et sine auctoritate. Super. cedit liti, et altera pars vicissim dat aliquid temporale. — 12. Interveniens autem auctoritate superioris, scilicet Papæ, vel episcopi pars cedens liti super beneficio exorte, licite potest recipere aliquid temporale, vel propter bonum pacis, vel ob aliam hujusmodi justam causam. V. *Add. Casin. in fin.* — 13. Pactum, quo quis promittit novam pensionem, vel augmentum antiq. quæ, ut in Beneficio instituitur, est illicitum et Simoniacum. — 14. Pactum de succedendo in eccl. benef. est nullum. — 15. Non valet pactum factum in præjudicium juris parochialis. — 16. Pactum, quod filia dote contenta patri ab intestato non succedat, a jure improbatum, et non valet. — 17. Valet tamen tale pactum si fuerit juramento firmatum, et non vi nec dolo ab eadem præstitum fuerit. — 18. Pactum talis filie juramento firmatum valet etiam in foro civili. — 19. Ad hoc autem, ut talis filie pactum juramento firmatum valeat, et servandum sit, requiritur, quod juramentum non sit, nec vi, nec dolo extortum. — 20. Si vero fuerit extortum vi, aut dolo, tunc vel nullatenus est obligatorium, vel saltem non est efficaciter obligatorium. — 21. Hinc talis filia, quæ dote accepta, cum juramento renuntiavit paternæ hereditati, atque enormiter, seu ultra dimidium inde lesa fuit, post obtentam absolutionem a juramento, potest petere rescissionem dictæ suæ renuntiationis, atque hæc a iudice est concedenda. — 22. Pactum additionis in diem, quid, et quid juris de eo? remissive. — 23. Pactum legis commissoriæ, quid, et quid juris de eo? remissive. — 24. Pactum antichryseos quid, et quid juris de eo? remissive. — 25. Pacta hypothecæ, seu pignori adjecta quænam, et quomodo valeant? remissive. — 26. Pacta retrovendendi, seu redimendi quando, et quomodo liceant, vel non, et quid juris de ipsis? — 27. Pacta et conventiones seu compositiones, quas superiores locales regularium sine licentia generalium seu pro-

vincialium ineunt cum prælatis seu rectoribus parochialium ecclesiarum super juribus parochialibus, et aliis articulis de jure communi sunt valida, et observanda. — 28. Secus autem spectatis eorundem Apostolicis privilegiis, quæ, quid disponant post decretas decretales, sunt diligenter attendenda. — 29. Alia ad rem ad n. 50. — 31. Subnect. *Add. ex al. man. ad n. 50.*

(1. Omnes illi pacisci possunt, vel non, qui possunt, vel non, contrahere. Pactum enim non differt a contractu, nisi sicut genus a specie. *Communis*, et patet ex l. *Hujus edicti* 1, ff. *De pactis*, ubi dicitur, quod « conventionis, seu pacti nomen generale est, quamvis postmodum conventionum pleræque in aliud nomen transeant, veluti in emptionem, in locationem, in pignus, » et hujusmodi; respectu quarum proinde conventio seu pactum ut sic obtinet rationem generis. (2. Qui autem possint, vel non, contrahere? *Vide verb. CONTRACTUS.*

Quamvis tamen omnes, qui contrahere possunt, possint etiam pacisci, nihilominus nequit pro omnibus pactum iniri. Etenim « quæcumque gerimus, cum ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem nostrum actum efficiunt. Et ideo neque stipulari, neque emere, vendere, contrahere, ut alter suo nomine recte agat, possumus. » L. 11, ff. *De oblig. et act.* Quare « nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest, » per text. in l. 73, § fin. ff. *De reg. jur.* Hoc adeo verum est, ut nec convalescat conventio, licet is, cui quis pactus est, paciscentis hæres postea exstiterit: puta: « Si pactus sim, ne a me, neve a Titio petatur, non proderit Titio, etiamsi hæres exstiterit: quia ex postfacto id confirmari non potest. Hoc Julianus scribit in patre, qui pactus erat, ne a se, neve a filia peteretur, cum filia patri hæres exstisset. » Leg. 17, § 4, ff. *Hoc tit.*

Hæc regula suas patitur limitationes. Nam quis utiliter paciscitur, nec videtur alteri pacisci, qui sibi, et hæredi suo paciscitur; nec solum omnibus, sed uni ex hæredibus meis paciscor utiliter, ne ab ipsis petatur. Hæc docet Celsus, in l. 33, ff. *Hoc tit.*: « Avus neptis nomine, quam ex filio habebat dotem promisit, et pactus est, ne a se neve a filio suo dos peteretur. Si a cohærede filii dos petatur, ipse quidem exceptione conventionis tuendus non erit, filius vero exceptione conventionis recte utetur. Quippe hæredi consuli concessum est: nec quidquam obstat uni tantum ex hæredibus provideri, si hæres factus sit, cæteris autem non consuli. » In eandem Celsi sententiam descendit etiam Pomponius, et iisdem fere utitur verbis in l. 10, ff. *De pact. dotal.* Utiliter etiam quis paciscitur ei, in ejus potestate est, cum ille jure potestatis per ipsum acquirere possit. Hinc « filius servusve, si paciscantur, ne a patre dominove petatur, » ut ex l. 17, § fin. ff. *hoc tit.*, « sive de eo paciscantur, quod cum patre dominove contractum est, » l. 18, ff. *eod.*, « acquirere actionem. » *Idem est*, et in his,

qui bona fide serviunt. » L. 19, ff. *eod.* Enimvero « per quos stipulatione acquiri nobis potest, per eosdem etiam pactis conventis meliorem nostram conditionem fieri posse placet. » Leg. 59, ff. *eod.*

Notandum insuper quod dum extraneo paciscor, licet per se inutilis conventio sit, nihilominus si id, quod ei paciscor, mea intersit, utiliter paciscor, nec videor alteri pacisci. Hinc Paulus: « Si sine persona sua reus pepigerit, ne a fidejussore petatur, nihil id prodesse fidejussori quidam putant, quam id rei intersit, quia ea demum competere ei debet exceptio quæ, et reo. » At qui hoc pactum non potest parere exceptionem reo, cum non sibi pactus sit, sed reo, ergo nec fidejussori. At prosequitur Paulus: « Ego didici prodesse fidejussori exceptionem, non sic enim illi per liberam personam acquiri, quam ipsi, qui pactus sit, consuli videtur, quo jure nitimur. » L. 29, § 1, vers. *Quod si sine*, ff. *hoc tit.*

Observandum etiam, quod pactum, quo paciscimur extraneo, cum nostra non intersit, interdum tamen prodest per exceptionem doli. Exemplum offert Papinianus leg. 26, § 4, ff. *De pact. dotal.*: « Filia cum pro se dotem promitteret, pepigit, ut si in matrimonio sine liberis decessisset, matri suæ dos solvatur, pacto filie nulla matri quæritur actio. Si tamen hæres puellæ matri pecuniam dotis solverit, viro contra placita petenti dotem, obstat exceptio. » Non pacti exceptio, cum pactum inutile sit, sed exceptio doli, quia contra bonam fidem maritus facit, cum desiderat ut hæres uxoris, qui ex ipsius viro voluntate, et secundum id, quod ipsi viro placuit, dotem matri uxoris solvit, eam ipsi iterum solvat. Quod si hæres uxoris non jam solvisset eam matri, teneretur eam viro petenti ex promissione dotis solvere, nec ullam ex illo pacto, quod inutile est, exceptionem posset ei opponere, eo magis quod ejus non intersit viro, an matri solvat.

Una superest quæstio, nimirum si quis sibi et extraneo paciscatur, an ex ea conventionione jus in solidum paciscenti acquiratur? Ita obtinere debere definit Javolenus, in l. 64, ff. *De contrahend. empt.*: « Fundus ille est mihi et Titio emptus. Quæro utrum in partem, an in totum venditio consistat, an nihil actum sit. Respondit: « per sonam Titii supervacuo accipiendam puto, ideoque totius fundi emptionem ad me pertinere. » Non tamen hæc obtinet in omnibus conventionibus. In stipulationibus enim, cum stricti juris sint, si quis sibi et extraneo stipuletur, stipulatio in partem tantummodo valet, per text. in l. 110, ff. *De verb. oblig.* Quemadmodum nemo alteri pacisci potest, pariter nemo paciscendo promittere potest, nisi de se non vero de alterius persona, ut infra fuse pertractabimus, ubi sermo erit de verborum obligationibus*.

(3. Pacisci solum potest de iis rebus quæ sunt paciscentium propriæ; § *Idem juris* 2,

inst. *De inutilibus stipulationibus*, ibi: « Quæ enim natura sua dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt. » (4. Hinc pacisci non potest de rebus sacris et religiosis, quæ cum sint juris divini, in nullius bonis sunt, § *Nullius* 6, instit. *De rerum divisione*, ibi: « Nullius autem sunt res sacræ, et religiosæ, et sanctæ; quod enim divini juris est, id nullius in bonis est; » et concordat cit. § *Idem juris* 2, instit. *De inutilibus stipulationibus*, ibi: « Item juris est (id est inutilis erit stipulatio), si rem sacram, aut religiosam, quam humani juris esse credebatur, » etc. (5. Item pacisci non potest de rebus, quæ sunt publicæ et communes, ut sunt flumina, littora, forum, theatra, stadia, et similia; quæ enim communibus et publicis usibus populi perpetuo exposita sunt, sub pactis privatorum cadere non possunt, § 1, 2, 3, 4, 5 et 6, instit. *De rer. div.*, et cit. § *Idem juris* 2, *De inutilibus stipulationibus*.

* Rursus in quæcumque conventionem, sive sit simplex conventio, sive sit contractus, deduci non potest, nisi quod intersit ejus, cui promittitur. Hinc Proculus respondit in l. 36, ff. *eod.*: « Si cum fundum meum possideres, convenisset mihi tecum; ut ejus possessionem Attio traderes, vindicantem eum fundum a te, non aliter te conventionis exceptione excludi debere, quam si aut jam tradidisses, aut si tua causa id inter nos convenisset, et per te non staret quominus traderes. » Dicitur *tradidisses*. Cum enim desieris possidere, utpote ex voluntate mea rem Attio tradendo, non es obnoxius vindicationi, quæ non nisi adversus possessorem competit. Dicitur *tua causa*; nam si non tua causa, id est, si nihil tua intersit, rem Attio tradi, conventio inutilis est, nec de ea excipere potes: nec enim in conventionem deduci potest, nisi quod paciscentis intersit. Quamvis tamen hujusmodi pacta inutilia sint, quoties paciscentis non intersunt, possunt nihilominus confirmari adjecta stipulatione pœnali, qua stipulabitur aliquid, si id pactum non fuerit sibi dari, per textum in l. 11, ff. *De religios. et sumpt. funer.* Si locus monumenti hæc lege venerit, ne in eum inferrentur, quos jus est inferri, *Pactum quidem illud non sufficit* ad parandam actionem, quamvis contractui bonæ fidei adjectum, quia non potest quis agere, ne fiat aliquid, quod ipsius non interest fieri necne; *sed stipulatione id caveri potest*, pœnali scilicet, quia si adversus conventionem factum fuerit, quasi existente conventionem poterit stipulator petere pœnam, et recte agel, cum ipsius intersit, ei dari id, quod pœnæ nomine promissum est.

(6. Pacisci solum potest de rebus possibilibus. Pactum enim rei impossibilis, sive de jure, sive de facto nullam obligationem inducit, textu expresso in c. *Pactionis* 8, *De pactis*, verbis mox in numero sequenti adducendis. Impossibile enim nulla est obligatio, l. *Impossibile* 185, ff. *De regul. juris*. Et nemo potest ad impossibile obli-

gari. C. *Nemo potest* 6, De reg. juris (167). Et de jure illud tantum possibile, et dari posse censetur, quod licite fieri potest; cap. *Fraternitatis* 16, caus. 22, quæst. 2, juncta *Glossa*, verb. *Quod potest*. Unde pacisci solum potest de rebus licitis et honestis; pacta enim de rebus illicitis et inhonestis, quæ sunt contra leges, vel contra bonos mores, nullam vim habent, et nullius penitus sunt momenti; textu expresso in l. *Pacta* 6, cod. *De pactis*, ibi: « Pacta, quæ contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est; » et in cit. capit. *Pactiones* 8, De pactis, ibi: « Nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit. »

* Inhonestas et contra bonos mores ea reputantur pacta, quibus quis peccandi licentiam videretur concedere. Hinc exempli gratia « in commodato hæc pactio, ne dolus præstetur, rata non est. » L. 17, ff. *Commodati*. Iniquum enim est et contra leges dolum non præstari. Præterea « pacta, quæ turpem causam continent, non sunt observanda: veluti, si paciscar ne furti agam vel injuriarum, si feceris. Expedi enim timere furti vel injuriarum poenam. Sed post admissa hæc pacisci possumus. » L. 27, § 4, ff. hoc tit. « Nam et de furto pacisci lex permittit; » l. 7, § 14, in fin. ff. *H. t.* Quare de dolo admittendo, non de eo, qui jam admissus est, accipiendus Pauli locus in l. 27, § 3, ff. *Hoc tit.* « Illud nulla pactione effici potest, ne dolus præstetur. Quamvis, si quis paciscatur, ne depositi agat, vi ipsa id pactus videatur, ne de dolo agat, quod pactum proderit. » Quia frequens in jure est regula, « expressa nocent, non expressa non nocent. » Enim vero, « si quis paciscatur, ne depositi agat, secundum Pomponium valet pactum, » ut testatur Ulpianus, in l. 7, § 15, ff. *Hoc tit.*

Pactis quibus peccandi licentiam quis pacisci videtur, proxima sunt ea, quibus quis pretio magis, quam virtutis amore, a flagitio abstinere videretur. Hinc, « si ob maleficium, ne fiat, promissum sit, nulla est obligatio ex hac conventionione, » ut idem Ulpianus in citata l. 7, § 3, ff. *Hoc tit.* Sed licet hæc inhonesta reputetur, conventio honesta tamen illa reputatur, qua quid ab eo stipulamur si peccaverit. Id iurice declaratur exemplo Papiniani in l. 121, ff. *De verb. oblig.*, § 1. Mulier ab eo in cujus matrimonium conveniebat, stipulata fuerat ducenta, si concubinæ, tempore matrimonii consuetudinem repelliisset. Nihil causæ esse respondit cur ex stipulata, quæ ex bonis mo-

(167) Inter impossibilia videtur posse etiam re- censi, quod ab alterius pendet facto, et arbitrio, atque ideo id pacisci non posset. Nihilominus sunt quidam casus, in quibus quis tenetur servari pactum tertiam respiciens personam. Ita quippe Ulpianus in l. 58, ff. *Hoc tit.*: « Non impossibile puto in contractibus depositi, commodati, locati, et cæteris simili- bus hoc pactum; ne facias furem servum meum, hoc est ne sollicitus, ut fur fiat, vel fugitivus fiat, nec ita negligas servum, ut fur efficiatur; sicuti

ribus concepta fuerat, mulier impleta conditione, pecuniam assequi non possit.

Bonis moribus civitatis adversari videtur, si quis ita de sua hæreditate paciscatur, ut indirecte sibi testandi licentiam auferat quæ facultas in tanto fuit pretio apud Romanos. Hinc imperatores Valerianus et Gallienus rescripserunt, in l. 15 cod. *De pactis*: « Pactum, quod dotali instrumento comprehensum est ut si pater vita fungeretur, ex æqua portione ea, quæ nubebat cum fratre, hæres patri suo esset, neque ullam obligationem contrahere, neque libertatem testamenti faciendi mulieris patri potuit auferre. »

Adversus bonos mores censentur etiam ea pacta, quæ mortis alicujus votum quoddam continere videntur, aut saltem huic voto causam aliquam præstare. Ea de causa pacta de hæreditate personæ viventis inter eas personas facta, quæ ad hanc hæreditatem sperant vocari, Justinianus voluit esse irrita, nisi is de cujus hæreditate agitur, pactis voluntatem suam accommodaverit, et in ea voluntate usque ad mortem perseveraverit, l. fin. cod. de hoc tit. Simili ratione reprobatur pactum mutuae successione, quod tamen inter milites sustineri jure ultimæ voluntatis statuerunt Diocletianus et Maximianus in l. 19, cod. eod. Neque solum duo de hæreditate tertii viventis aut de mutua invicem successione pacisci possunt, sed nec olim de hæreditate defuncti, quam quis post mortem suam restituere mihi ex fidei commissio tenebatur, pacisci mihi aliquid cum eo licebat, quamvis mutua esset inter nos substitutio. Ita enim Paulus testatur, *Recept. sent.*, lib. iv, tit. 1, § 13: « Rogati invicem sibi, si sine liberis decesserint, hæreditatem restituere; altero decedente sine liberis, hæreditas ad eum pervenit, qui supervixit, nec de eo pacisci contra voluntatem testatoris possunt; » quia de jure necesse est ut integra perveniat. Verum hoc pactum ab imperatoribus inde permissum est, ut constat ex l. 1 et l. 16, cod. hoc tit., et l. 11, cod. *De transact.*

Contra bonos mores videtur etiam pactum, quo medicus ab ægroto aliquid pro salute ipsius paciscitur. Hinc Valentinianus et Valens rescripserunt in l. ix, cod. *De profess. et medic.*: « Archiatri scientes annuaria sibi commoda a populi commodis ministrari, honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter servire divitibus. Quos etiam ea patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis non ea quæ periclitantes pro salute promittunt. » Pariter contra bonos mores videtur pactum, quo procurator de parte litis paciscitur de quo infra agendum erit in titulo de procuratoribus. At quærit Ul-

enim servi corrupti actio locum habet, ita potest etiam hæc pactio locum habere, quæ ad corruptendos servos pertinet. » Notandum tamen quod in conventionem interdum deduci potest, quod in alicujus tertie personæ, aut etiam alterius ex contractibus, tanquam in arbitrium boni viri committatur, modo sit liber homo, qui arbitretur. Nam cetera verba arbitrio Lucii Titii fieri, jus significant, et in servum non cadunt. » L. 68, ff. *De verb. signif.* De his plura in titulo *De verbor. obligat.*

pianus an bonis moribus adversetur: « Si quis crediderit pecuniam, et pactus sit ut, quatenus facere possit, debitor eatenus agat nempe juxta vires debitoris, an pactum valeat? » Et magis est pactum valere. Nec enim improbandum est, si quis eatenus desideret conveniri, quatenus facultates ejus patiuntur. L. 49, ff. *Hoc tit.*

Circa pacta quæ sunt contra bonos mores et turpitudinem continent, observandum superest, propter turpitudinem ejus qui sibi pactus est, irritum esse pactum, non vero propter ejus duntaxat qui promisit. Hinc Diocletianus et Maximianus in l. 25, cod. *De transact.* « Si majores viginti quinque annis cum patruo, sive avunculo vestro transegistis, vel ei debita donationis causa, sine aliqua conditione remisistis; non idcirco quod hoc ejus hæreditatis captandæ causa, id est spe futuræ successionis vos fecisse proponatis, aliis ei succedentibus instaurari finia debent. »

His pactis affinia sunt quæ fiunt contra leges et constitutiones principum. Id autem fit vel ratione personæ quæ paciscitur vel ratione rei quæ in pactum deducitur. Ratione personæ, ut si pupillus sine tutoris auctoritate paciscatur, ne a debitore suo petatur, licet pupillus etiam sine tutoris auctoritate possit licite pacisci ne quod debet, a se petatur, l. 28, ff. *De pact.* Ratione vero rei, ut si quis promittat quod legibus prohibuit esse. « Nam jus publicum privatorum pactis mutari non potest. » L. 38, ff. *Hoc tit.*, l. 43, § 1, ff. *De reg. jur.* Item si id promittatur quod repugnat publicæ utilitati, uti « pactum, ne experiar interdico; unde vi; quatenus publicam causam contingit, pacisci non possumus. Et in summa, si pactum conventum a re privata remotum sit, non est servandum. » L. 27, § 4, vers. *Item ne experiar*, ff. *Hoc tit.*, quod idem statuit etiam Ulpianus in l. 7, § 16, ff. eod. Super his tamen legibus videndus est Cujacius, *Observat.* lib. 1, cap. 24, qui putat a re publica legendum non a re privata, ut in vulgato textu legimus quæ nihilominus lectio retineri potest hoc sensu, ut nempe improbandum sit pactum quod privatam rem non respiciat. Cæterum adversus illud jus, quod non publicam, sed privatam paciscentis utilitatem respicit, nihil vetat pacisci, ut videre est in l. 7, § 13, 14, 15, ff. *Hoc tit.*, in l. 31, l. 43, et l. 46, ff. eod., et in l. 27, et l. 156, § fin., ff. *De reg. juris.*

Prætermittendum denique non est ea omnia irrita esse pacta quibus error causam dedit, ut constat ex l. 51, in princip., et § 1, ff. *Hoc tit.*

(8) Omne etiam pactum pro obtinenda re spirituali est penitus irritum, ac nullius momenti, textu expresso in cit. c. *Pactiones* 8, De pactis, ibi: « Pactiones factæ a vobis (ut audivimus), pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti; » et concordat cap. *Quasitum* 5, De rerum permutat., ubi additur quod « pactio circa spi-

ritualia vel connexa spiritualibus, labem semper continet Simoniam. »

(9) Sic omne pactum circa spiritualia est illicitum et continet simoniam, saltem ecclesiasticam, quando illud intervenit in beneficiis ecclesiasticis, aut aliis jure ecclesiastico prohibitis, tanquam continentibus labem simoniæ; ut si fiat permutatio præbendarum propria auctoritate et sine interventu superioris, scilicet episcopi, cap. *Quasitum* 4, De rerum permut., aut si quis resignet præbendam cum pacto, ut sibi solvatur certa pensio absque auctoritate Papæ, cap. *Super eo* 7, De transactionibus; vel si eligendus, v. g. in episcopum, in provincialem, in generalem et hujusmodi promittat alteri beneficium ecclesiasticum, dignitatem, personatum, suum votum et hujusmodi, ut det sibi votum in electione, cap. *Quam pio* 2, caus. 11, q. 2, cap. *Plerique* 7, et cap. *Pactiones* 8, De pactis; cap. *Quasitum* 5, De rer. permutat.; cap. *Præterea* 9, De transactionibus; cap. *De hoc* 11, et cap. *Tua nos* 34, De Simonia, cum similibus.

(10) Pactum vi cujus beneficium ecclesiasticum debet pecunia resignari, nullum est atque Simoniacum, cap. *Cum pridem* 4, De pactis; cap. *Consulere* 38, De Simonia, cum similibus. (11) Et hoc etiam procedit de pacto illo, quo una pars litigantium privata conventionione et sine auctoritate superioris cedit liti, et juri super beneficio litigioso si quod in eo habeat et altera pars vicissim dat aliquid temporale, v. g. expensas factas restituit. In spiritualibus enim omnis pactio cessare debet, cap. *Pactiones* 8, De pactis; cap. *Quasitum* 5, De rerum permutat., cum similibus. Et sic tenet Abbas, in cit. cap. *Cum pridem* 4, De pactis, n. 1 et 2; Barbo., ib., num. 15, et communis aliorum.

(12) Dicitur autem notanter « privata conventionione ac sine auctoritate superioris, » quia interveniente auctoritate superioris, scilicet Papæ vel episcopi ex gravi causa id concedentis, pars cedens liti super beneficio exortæ licite potest recipere aliquid temporale, non quidem in compensationem sui juris, si quod in beneficio habeat, cum hoc sit simoniacum; sed vel propter bonum pacis, arg. cap. *Nisi essent* 21, De præbend., vel ob aliam hujusmodi justam causam; Fagnan., in cit. cap. *Nisi essent*, n. 3 et 28; Barbosa, *ibid.*, n. 8, Reiffenstuel, l. 1 *Decretal.*, c. 25, num. 70; Layman, l. iv, tr. 10, c. ult., num. 56, et alii*. Vid. *Additiones Casin.* in fin*.

(13) Pactum quo quis promittit novam pensionem vel augmentum antiquæ, ut in beneficio instituat, est illicitum et simoniacum, et qui illud, mediante tali pacto, obtinuit, non solum est eo spoliandus, sed etiam aliis pœnis canonicis est puniendus; cap. *Cum clericis* 6, De pactis; cap. *Matth. xxiii*, De Simonia, et extravagant. *Cum detestabilis*, De Simonia, inter communes, cum similibus.

(14) Pactum de succedendo in ecclesiasticis beneficiis, ita videlicet, ut ista clericis

concedantur sub hac conditione, quod post eorum mortem alii nominatim succedant, est nullum, cap. *Accepimus* 5, De pactis et com. doct.

(15. Non valet pactum factum in præjudicium juris parochialis, ut si clerici sæculares, vel regulares res suæ ecclesiæ locent vel in feudum concedant cum pacto, quod conductores vel feudatarii decimas eis persolvant, aut apud ipsos sepulturam eligant. Cum enim hujusmodi pactum præjudicet juribus parochialibus, nullius est roboris, et sic paciscentes tenentur reddere quidquid ratione similis pacti receperunt, et servare indemnem ecclesiam illam parochialem, quæ exinde læsa fuit; textu expresso in cap. *Plerique* 7, De pactis.

(16. Pactum, quod filia dote contenta, patri ab intestato non succedat, a jure improbat, et non valet, textu expresso in l. *Pactum dotali instrumento* 3, cod. *De collationibus*, ibi: « Pactum dotali instrumento comprehensum, ut contenta dote, qua in matrimonio collocabatur, nullum ad bona paterna regressum haberet, juris auctoritate improbat, nec intestato patri succedere filia ea ratione prohibetur; » et refertur etiam in c. *Quamvis* 2, De pactis, in 6, per verba mox adducenda in numero sequenti. Valet tamen tale pactum, si fuerit juramento firmatum, et non vi, nec dolo ab eadem præstitum fuerit, textu expresso in cit. c. *Quamvis*, ibi: « Quamvis pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis. Si tamen juramento, non vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem, omnino servare debet, cum non vergat in aeternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. »

(17. Pactum talis filię juramento firmatum valet etiam in foro civili: cum enim hic agatur de evitando peccato, ac perjurio, dicta Pontificia dispositio in cit. cap. *Quamvis*, valet etiam in foro civili, et per judicem sæcularem est servanda. Sic, pluribus juristis et juribus adductis, *Glossa* in cit. cap. *Quamvis*, verb. *Servari*; Alexander, consil. 29, lib. III; Zoesius, tit. *De pactis*, num. 37; Covarruvias, part. III, in cap. *Quamvis pactum*, § 4, num. 18, De pactis, in 6; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 35, num. 82, ubi testatur de communi. Et colligitur ex cap. *Novit*, 13, § *Licet autem*, De judiciis, ubi dicitur quod « Pontifex procedere valeat super quolibet criminali peccato, ut peccatorem revocet a vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem. » Et additur, quod « de juramenti religione cognoscere, ad judicium Ecclesiæ non est dubium pertinere. » (18. Et hoc etiam habetur ex præscripto legum civilium. Nam Authentic. *Ut clerici apud proprios episcopos*, § *Si vero ecclesiasticum*, collat. 6, imperator expresse hoc sancivit his verbis: « Cum oporteat talia ecclesiasticè examinari et emendari animas delinquentium per ecclesiasticam multam secundum sacras et divinas regulas, quas etiam

nostræ sequi non dedignantur leges. » Unde in c. *Intelleximus* 1, De novi operis nuntiatione dicitur quod, « leges non dedignantur sacros canones imitari. »

(19. Ad hoc, ut talis filię pactum juramento firmatum valeat, et servandum sit, requiritur quod juramentum non sit nec vi, nec dolo extortum, ut expresse cavet Pontifex in cit. cap. *Quamvis* 2, De pactis, in 6, ibi: « Juramento, non vi, nec dolo præstito. » (20. Si vero fuerit extortum vi, id est si filia juravit se renuntiare paternæ hæreditati, gravi metu majoris mali adducta, puta quia alias dotem a patre obtinere non posset; seu fuerit extortum dolo, id est si parentes scienter et dolose persuaserint filię, minores esse facultates suas, quam revera essent, sicque ipsa seducta, et modica dote contenta, reliquæ hæreditati sub juramento renuntiaverit; tunc juramentum sic vi aut dolo extortum, vel nullatenus est obligatorium, ex quo talis vis seu dolus valuerit auferre consensum, ut dicunt Abbas in cap. *Cum contingat*, n. 2, De jurejurando; Joann. Andreas, in cap. unic. de commodat.; Pirhing., lib. I *Decretal.*, tit. 35, n. 32; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 83; Molina, l. II, *De justitia et jure*, tract. 2, dis. 579, n. 28, et alii; vel saltem non est efficaciter obligatorium, cum possit peti et obtineri ejus relaxatio, et dispensatio, quæ per Ecclesiam solet in similibus casibus passim concedi, cap. *Virum* 25, De jurejurando; imo et magistratus sæcularis potest cogere eum qui vim aut metum intulit, ut juramentum remittat; Pirhing., *loc. cit.*, num. 32; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 83, et alii passim.

(21. Hinc talis filia (idem dic de filio, vel quovis alio necessario hærede) quæ, dote accepta, cum juramento renuntiavit paternæ hæreditati, atque enormiter, seu ultra dimidium inde læsa fuit, post obtentam absolutionem a juramento, potest petere rescissionem dictæ suæ renuntiationis, atque hæc a judice est concedenda ob ejusmodi enormem læsionem rite probatam; juramentum enim junctum enormi læsioni, nempe ultra dimidium, censetur dolo extortum; nam tunc ipsa res in se dolum habet, ut dicit l. *Si quis cum aliter* 36, ff. *De verbor. obligationibus*; Covarruvias, part. III, in cap. *Quamvis pactum* 2, De pactis, in 6, § 4, num. 11; Gailus, lib. II *Practic.*, observ. 147, num. 8 et 9; Layman, in cit. cap. *Quamvis* 2, De pactis, in 6, num. 2; Menoch., *De arbitrar. jud.*, caus. 149, n. 17 et 18; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 84; Fachineus, lib. VIII, *Controvers. juris*, canon. 69, citans alios, et solvens contraria.

(22. Pactum additionis in diem quid, et quid juris de eo? Vide verb. *CONTRACT. EMPT.*, art. 5, a num. 46 ad 55.

(23. Pactum legis commissoriæ quid, et quid juris de eo? Vide d. verb. *CONTRACT. EMPT.*, a n. 40 ad 45, et verb. *HYPOTHECA*, num. 34 et 35.

(24. Pactum antichryseos quid, et quid

juris de eo? Vide d. verb. *HYPOTHECA*, num. 32 et 33.

(25. Pacta hypothecæ seu pignori adjecta quænam, et quo modo valeant? Vide verb. *HYPOTHECA*, a num. 36 ad 40.

(26. Pacta retrovendendi, seu redimendi quando, et quomodo liceant, vel non, et quid juris de ipsis? Vide dict. verb. *CONTRACT. EMPT.*, art. 3, num. 54 ad 56.

(27. Pacta et conventiones seu compositiones, quas superiores locales regularium sine licentia generalium seu provincialium ineunt cum prælatis seu rectoribus parochialium ecclesiarum super juribus parochialibus, et aliis articulis, de jure communi sunt valida, et observanda, textu expresso in cap. *Quia eo* 3, De pactis, in 6, in cujus sumario sic expresse habetur: « Pacta inita per Fratres Prædicatores vel Minores, vel alios Mendicantes cum rectoribus parochialium ecclesiarum super parochialibus juribus, si facta sunt per priores, vel guardianos de conventuum ipsorum locorum consensu, licet auctoritas Sedis Apostolicæ non intervenerit, vel licentia prioris, vel ministri generalis, aut magistri vel provincialis ministri, vel capituli provincialis, servanda sunt, dummodo sint licita et honesta; » et concordat cap. *Pactum* 1, eodem in 6, in cujus sumario sic præcise habetur: « Monachi habentes liberam a Sede Apostolica sepulturam, si paciscantur de non recipiendis aliquibus vel certis parochianis Ecclesiæ alienius, servare compelluntur pactum, nec illos sepelire poterunt, licet apud eos elegerint sepeliri, cum per pactum privilegio renuntiaverint. »

(28. Verum prædictas decretales Bonifacii VIII iterum sublatas esse per Sixtum IV, et privilegia Mendicantibus prius concessa iterum restituta esse et confirmata per ipsum Sixtum IV variosque alios Summos Pontifices, testatur Emmanuel Rodericus, tom. I, q. 27, art. 3, addens ita servari in nostra religione. Et ita etiam docent Layman, in cit. cap. *Quia ex eo* 2, De pactis, in 6; Pirhing, lib. I *Decretal.*, tit. 35, num. 14; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 7, et alii. Et ratio ipsorum est, quia sicuti rector ecclesiæ collegiatae inferioris non potest jura et bona immobilia ecclesiæ alienare, nisi ultra consensum capituli cum licentia episcopi, ut colligitur ex cap. *De cætero*, et cap. *Veniens* 8, De transactionibus; ita etiam rector seu prior ecclesiæ conventualis, seu regularis non potest alienare sine consensu generalis sui ordinis, qui quasi episcopalem jurisdictionem in suos subditos habet, vel saltem provincialis in illis religionibus, in quibus habet facultatem præbendi similem consensum. Sic prædicti doctores, qui tamen recte monent in hac re attendendas esse consuetudines, statuta, et privilegia apostolica, cuique religioni post dictas decretales Bonifacii VIII facta et concessa.

(29. Pacta abolendarum pensionum contemporaneæ resignationi beneficiorum, et

carumdem pensionum resignantibus, damnantur et annullantur. Bened. XIV, tom. I, constit. 30, incip. *In sublimi*, § 3. (30. Pacta pœnalia de non appellando a sententia super nullitate matrimonii damnantur et annullantur. Idem constit. 85, incip. *Nimiam*, § 4 et 7. Earumque observantia prohibetur sub pœna excommunicationis. Idem, *ibidem*, § 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(31. Plura sunt pacta quæ tum jure civili, tum jure canonico speciatim improbantur. De omnibus agere haud patiuntur angusti limites additionum. Agemus de uno a jure civili, tum de uno a jure canonico improbato.

(32. Jure civili improbatum est pactum de hæreditate tertii, si tertius ille certus sit, nec aliter subsistit, nisi tertio illo consentiente, et in eodem consensu subsistente usque ad mortem. (33. Improbatum autem fuit pactum hoc tanquam plenum tristissimi eventus, et votum captandæ mortis continens, leg. 15, et in fin. c. *De pact.* Rota in *Monopolitana immissionis* 3 Martii 1749, § 5 et sequent., coram eminent. Bussio.

(34. Pactum hoc non sustinetur, etiamsi tendat in favorem certi ac determinati matrimonii, quod alias secutum non fuisset.

(35. Imo etiamsi juramento munitum sit. Rot., coram Rat., dec. 142, num. 2 et 3.

(36. Nec si inter nobiles conventum sit cum juramento. Idem supremum tribunal in *Lucana immissionis* 16 Febr. 1731, cor. Calcegnin. (37. Nec a statuto, vel a consuetudine vim accipere potest. Confer. Treutler.; vol. I, disp. 6, thes. 8, cap. final.

(38. Debet autem esse hoc pactum vel de tota hæreditate, vel de ejus parte, ut prohibitionem incurrat. (39. Occurrit vero non semel dubitatio, utrum pactum hoc sit de quota aliqua hæreditaria, an de rebus particularibus. Vide, ubi res postulat, Rotam, cor. Ratt., dict. decis. 142, num. 4, ad plur. seq.

(40. Consentiente tertio illo, ut dictum est, sustinentur. (41. De tertio vero quæritur an is, si juramento consenserit, possit non obstante juramento, discedere a consensu, et testamentum condere? Variant doctores. Meo judicio separari debet casus. Si dixerit: « Juro me in hoc pactum consentire, » resilire adhuc valebit, quippe quia juramentum actus naturam sequitur. Aliud, si dixerit: « Juro me consentire, nec me unquam consensum hunc revocaturum esse; » hoc casu (recte ait Stryk., in *usu modern. Pandect.*, lib. II, tit. 14, § 17) pœnitere non posset, ne facultatem testandi amitteret; testamentum enim ut faciat, nulla lege obstringitur.

(42. Jure canonico improbatum pactum, quo præsentatus pensioni vel favore patroni vel favore tertii consentit, cap. 6, De pact. Cæterum interest scire utrum pactum hoc sit conceptum per viam *conditionis*, an per viam *modi*. (43. Priori enim casu ipsa quoque præsentatio irrita est, idque quia